


qui rudimenta quasi historiae litterarum studiosius persequitur, eruditissimorum virorum cineres defendi potius, quam accusari, quae invidia sit! Professis vero latronibus advocatos libenter damus, eorumque ingeniis favemus, si furcae destinatos, iam tandem mitiore supplicio dignos videri posse, aliquo eloquentiae colore effecerunt. Scimus enim optabilius esse, ut nocentes vel multi seruentur, quam vlla contra festinatione committere, ut innoxii immerentiisque vel unum caput neci detur: quando nulla cunctatio de morte hominis, quin etiam de fama dudum mortui, decretum facientibus longa debet videri. Quamobrem ergo minus faueamus illis, quos pro magnis alias nominibus ita laborare sentimus, ut iniuria laceratos, ad famae velut postliminium, tanquam in vitam, reuocare velle videantur?

Cicero praeclare & vehementer propugnat pro gloria C. Marii, dudum e viuis sublato, quamuis alias ambitiosi, dum viueret, & dubiae existimationis viri. quod sane defensionis causa, quae fauorem semper habet, & licuit, & decorum fuit neutiquam talia, eoque spiritu, facturo, si aliquis, e mortuis praesertim, accusandus fuisset. Locus extat in oratione pro C. Rabirio, cap. X. Audiamus Tullium.

At credo, cum innumerabiles hostium copias in Italia fudisset, atque obsidione rempublicam liberasset, omnia sua secum vna moritura arbitratur. Non est ita, Quirites: neque quisquam nostrum in reipublicae periculis cum laude ac virtute versatur, quin spe posteritatis fructuque ducatur. Itaque, cum multis aliis de causis virorum bonorum mentes diuinae mihi atque aeternae videntur esse, tum maxime, quod optimi & sapientissimi cuiusque animus, ita praesentit in posterum, ut nihil, nisi sempiternum, spectare videatur. Quapropter equidem C. Marii & ceterorum virorum sapientissimorum, ac fortissimorum civium, mentes, quae mihi videntur ex hominum vita ad deorum religionem & sanctimoniam demigrasse, testor, me pro illorum fama, gloria, memoria, non secus ac pro patris fanis atque delubris propugnandum putare: ac, si pro illorum laude mihi arma capienda essent, non minus strenue caperem, quam illi pro communi salute ceperunt. Etenim Quirites, exiguum nobis vitae curriculum natura circumscripsit, immensum gloriae. Quare, si eos, qui iam de vita decesserunt, ornabimus: iustiore nobis mortis conditionem relinquemus.

IOH. FRID. CHRISTII  
DE  
NICOLAO MACHIAVELLO  
LIBER PRIMVS  
PRAEPARATIO



DE  
NICOL. MACHIAVELLO  
LIBER PRIMVS  
SIVE AD QVAESTIONES  
DE VITA SCRIPTIS ET SECTA EIVS VIRI  
PRAEPARATIO

---

CAPVT PRIMVM  
*Antiquorum temporum bona cum nostris  
comparata.*

**Q**Vae plerumque senum querela est, & infortunatorum, *Antiqua lit-*  
aegroque animo hominum, vt praesentia minus pro- *terarum*  
bent, atque contra laudibus antiqua tollant: eam qui- *prae prae-*  
dem nos hac tempestate, quod ingenue fatendum est, *sentibus non*  
quodammodo amplectimur, nec senes, nec de for- *spernenda.*  
tuna querentes. Fatemur autem tua caussa, quicumque haec le-  
gis, si in ea es opinione, quae non tua, sed quasi seculi est; vt ra-  
tionem bene atque commode viuendi, prudentiam ciuilem, bo-  
nas litteras, ceteras artes omnes, quibus vita hominum, aut susten-  
tatur, aut ornatur, ita ad liquidum perductas putes hoc tempore;  
vt prae his rebus vetusta desiderando, felicitati temporum iniu-  
ria

ria fieri videatur. Notae sunt Gallorum ad id argumentum altercationes, & qui quasi classicum eius belli cecinit, Peralti liber cum poemate sane ineptus, & adsentatorie scriptus, ubi, ut ceterarum artium, ita & eloquentiae antiquae, cum Galliculorum hodie cincinnis, instituere ausus est comparisonem. Verum est, quod haud absurdum plerumque cauillo obiicitur, Naturam nulla sententia effoetam, ut easdem arbores, ut metalla eadem, ut non minora mortalium corpora, ita nec diuersa indole animos, nostris temporibus, quam quos generauit olim, producere videri. Attamen, ut nihil natura mutet, rerum certe humanarum ea est conditio, ut regnorum diuersis vicibus nimium quantum populorum ingenia transformantur. Imperia autem, in quibus inest illa temperies, quo ciuium maxime animi, ut arbores suo coelo atque tempore aeris, mitescunt, non certa quadam naturae lege, tanquam suis temporibus redeuntia, ut in rebus naturalibus fieri solet anno vertente, contingunt: sed inexplorato & veluti coeco quodam prouidentiae diuinae numine constituuntur. Inde mores hominum pendunt pro temporibus diuersissimi, & duratura totis seculis gentium instituta. Iam vero in moribus & institutis, quemadmodum ea per educationem tradantur, non sane leuius ad formandam indolem momentum inest, quam in ipsius naturae bonitate. Praesertim rei publicae facies suum veluti ciuium animis induit habitum. Libertatis sensus a teneris vsque traditus homines plerumque format magnanimos, promtos, candidos, audaces, gloriae cupidos, perspicaces & ingenio praeclaros: obsequii contra, quae regna coercent, necessitas, pusilli frequentius animi fingit ciues, tardos, suspicaces, timidos, rei magis parandae quam gloriae cupidos, hebetiores, & litterarum, praeter compendium suum, raro studiosos. Aduersus ea temporum mala vel optimae naturae beneficio aliquando vix emerferis. Sunt sane nullo non tempore magni quidam Catones: sed illis oppressi rebus rarius excrescunt ad excelsum virtutem; rarius, vel si creuerint, promeritae etiam gloriae claritatisque fructu potiuntur. Illa contra felicitas virtutem,

pro

*Peralti liber notatus.**Illius sectae argumentum palmarium,**confutatum certis rationibus.**Ingenia ciuium pendere a rei publicae habitu.**Popularis libertas alios format homines dominatos item alios.**Earum rerum modus.*

pro eo modo, quo contingit, rectius & alit, & ornat. Quare factum est, ut non sane longo tempore, posteaquam, verbi causa, apud Graecos primo, deinde etiam apud Romanos, aequa libertas probis legibus esset constituta, dum vel umbra restaret illius rei, tanta virtutis & litterarum decora exsplenduerint, quanta nec aliis in populis, nec longissimo post tempore, extiterunt. Quae litterarum bonarumque artium summa gloria, si exiguo, atque aetatis & terrarum eo spatio finitur, quod prope vnum solidae libertatis bona tenuit; vnde potuerit nasci illa ingeniorum vbertas, nisi e rei publicae habitu, non facile dicas. Fuerunt quidem etiam in aliis gentibus praeclara ingenia; nec defuit cuicumque aetati terrarumque angulo suus vnquam vindex: verum, si numerum ineas, & ad mensuram quasi rem exigas, illi sine dubio victores futuri. Sane, quoad illorum morum & legum ratio atque cura, vel minima sui parte, durauit; aliquis optimarum litterarum color, imitatione saltem, vtcunque stetit: oppressa libertate collapsus, & subinde laxata resurgens. Nimirum hoc vno litterae mirifice saepius recreatae sunt, si quando sentire quae velis, & quae sentias dicere, liceret. Postea ingeniorum gloriam paene omnem funditus in Italia sustulit, non tam Barbarorum armis illatus terror, quam iniquissima imperatorum Byzantinorum dominatio: dum longo inde tempore, fato renata legum antiquarum cura, etiam litteras artesque omnes bonas, mirifico hominum ea aetate studio, restitueret. Germaniam nostram numen aliquanto benignius respexerat: & antiquissimis quidem temporibus, non sane praeclaris legibus exulta res publica, nec ea instituta, quae litteras alerent, & ingeniorum laudem, sed solida tamen libertas constitit, & optimi, cum bellicis laudibus, mores. Posteaquam vero res certis constitui legibus coeptae, & ingenia nutriri illatis litterarum studiis; ut cuique populo libertas aequior, in eo facilius effloruit litterarum gloria. Habuerunt proauorum & nostra tempora, ut non plenam felicitatem, ita praeter eam, quae rebus diuinis affulit, lucem, multa sane libertatis bona, nec

*Exemplum a Graecis & Romanis petitum.**Semper in quibusdam conspicua naturae bonitas:**sed aliquando frequentior:**etiam umbra libertatis interdum resuscitata.**Ingeniorum in Germania felicitas:**optimis apud nos institutis & libertatis.*

*bertate publica sustentata.*  
 poenitenda probis ciuibus. Inde subito laeta ingeniorum fe-  
 ges, in quibus profecto non naturam, sed illa antiquorum  
 instituta, desiderare, ad supremam laudem, posses. Adeo non  
 praeclara indole, non variarum rerum peritia, non iudicio infe-  
 riores videbantur nostri homines: at illa tamen fulminatrice elo-  
 quentia, animi magnitudine, dicendi libertate summa. Scilicet,  
 vt haec etiam in nostris effingeres, nobis dares illam rempubli-  
 cam, illam studiorum contentionem summam, illam bonae men-  
 tis & litterarum ad enitendum efficaciam, illam legum pro virtu-  
 te etiam plebeia aequitatem, illos gloriae stimulos, illos honores,  
 & vno verbo, easdem, quibus illi sunt incitati, industriae causas.  
 Contra, si eo tantum, quod similia posse vtrinque contingere vi-  
 dentur, in causa dissimili paria etiam reapse & necessario fieri  
 contendas; nihil efficies. Vani propterea, nec rerum satis gnari,  
 quicumque illis, quae diximus, argumentis, litterarum in vniuer-  
 sum studia nostris temporibus aut ampliora, aut certe antiquorum  
 rebus paria haberi posse, definiunt.

## CAPVT II.

*Vtriusque temporis commoda prudenter expen-  
 denda: neutrius poenitendum.*

*Vtilius idem ac verius esse, si antiquis sua constet reuerentia.*  
 Discimus igitur, vt sine vlla contentione, & amico dissidio,  
 ita haud tamen paullum ab eorum sententia, qui litteras nostro  
 tempore mirifice exultas laudant. quod cum tolleret animos, se-  
 curitatem etiam atque ignauiam facile plerisque, qui se doctos spe-  
 rant, nisi valde me fallit animus, adhuc induit: contra illa melio-  
 rum olim temporum persuasio, nimios premit spiritus, acuitque  
 discantium studia, vt in penitiora litterarum indies cupiant pen-  
 trare. Verum non vtilitate magis ea res nobis probatur, quam  
 aequitate, atque liquido veri lumine; ita quidem, vt non omnia an-  
 tiquis tribuamus, agnoscamusque etiam eorum in quibusdam pec-  
 cata, in quibusdam imperitiam, atque seculorum quasi vultus sat  
 in-

inter se subinde similes: esse tamen fateamur in nostris pleraque, *men & no-  
 quae adhuc inculta neglectaque iaceant, sintque digna, aliorum stris conce-  
 temporum exemplo aliquando restitui. Qua moderatione adhi- denda.*  
 bita confidimus, nec suffragium cordatiorum in sententiae patro-  
 cinium; nec nobis rationes, si exquirantur, atque in hoc iam argu-  
 mento sit versandum, de fore firmas luculentasque. Ceterum,  
 antiquis temporibus omnia tribuere velle, stolidum; contra no-  
 stris, inconsultum, temerarium atque paene impium haberi me-  
 rito possit.

## CAPVT III.

*Prudentiae civilis tradendae ratio antiquis ma-  
 gis in promptu: hodie ferme neglecta & spreta.*

*Prudentiae civilis ratio-  
 nem antiqui  
 tenere,  
 quam nostri  
 homines, re-  
 lius.*  
 IN his disciplinis, quas equidem nostra tempestate nondum re-  
 stitutas esse censeo, numeranda est, nisi fallor, prudentiae civilis  
 tradendae vera ratio. quanquam enim artem politicam, siue recte  
 curandae reipublicae leges, litteris mandare etiam nostris tempo-  
 ribus instituerint multi, nec spernendi in his auctores: vereor ta-  
 men, ne non eam viam institerint, qua vna iudicium de rebus ve-  
 re politicum acquiritur. Vt enim de minutis quibusdam princi-  
 patus commodis non aliena docuerint; ad summam tamen re-  
 rum quid publice proficit, vulgo aut non vident, aut tacent, aut prae-  
 ceptis falsis inutilibusque nimirum obumbrant. Rident propter-  
 ea, nec iniuria omnino, qui ad clauum sedent regendae ciuitatis,  
 cum rerum peritiam sint adsecuti, ideoque prae ceteris vt pluri-  
 mum politice docti habeantur, pleraque omnia id genus praecepta,  
 tanquam inanes vmbriticae diligentiae scholas. Nec ferme aliter  
 sperandum hodie, per Germaniam saltem, quam nos inprimis spe-  
 ctamus: vbi ex abdito res geri, atque summam consiliorum sedu-  
 lo occultari, inter primas imperandi artes censetur; nec adeo li-  
 cet, neque expedit, sciri in vulgus, quibus rebus vtilitas publi-  
 ca constet.

## CAPVT III.

*Contrariae olim rationis eduntur caussae.*

*Ratio olim  
contraria,  
cur florent.*

*Et aliorum  
temporum  
hac parte  
studia.*

*Nostrum tem-  
pore libris  
re optimi  
suppressi.*

**A**ntiquissimis contra temporibus, dum Graecorum res & dein- de Romanorum populari libertate florere, publicum de rebus maximis consilium, atque cura reipublicae cum vniuersis communicata, homines ciuiliū bonorum curiosos & imperandi peritos ipso rerum vsu effecit. Hinc ex illorum libris, quorum vti- nam ad hoc argumentum plures durassent, vera artis eius ratio re- ctissime colligitur: saltem historicorum voluminibus, vbi de re- publica diserte scripta defunt, haud incommode utimur. Deinde postquam Romanorum vires in foedam tyrannidem vertissent, cum ipsa república amissa, etiam doctrina de ciuitate in spongiam incu- buit. Medijs temporibus, vt omnium rerum, ita & publicae utili- tatis imperitia laboratum est. Superioribus seculis, cum ab inferis veluti reuocarentur litterarum studia, ne quidem huic doctrinae defuerunt decora ingenia, quorum ope atque opera, istae rationes probo commodoque ordine deductae, denuo paterent: verum obnitente inscitia potiores id genus libri deinde suppressi, atque e manibus plerorumque excussi sunt.

## CAPVT V.

*De inuidia aduersus primum ferme prudentiae  
ciuilis scriptorem.*

*Nic. Ma-  
chiauellus,  
in politicis  
prope prin-  
ceps, temere  
damnatus.  
Causam di-  
cere aduer-  
sus opinio-*

**H**Aec iniuria ne non facta fuerit etiam Nicolai Machiaueli Flo- rentini scriptis, vereor, sane multos esse, qui hodieque dubi- tent. In odio iam dudum est apud plerosque eius viri nomen, at- que libri eius damnati, tanquam saeuae tyrannidi incentiuum scri- pserit, atque impias crudelitatis leges ediderit. Quae opinio, cum nemo interea sat grauis atque diligens viri defensor extitisset, diu- turnitate temporis adeo inoleuit, vt vel aequissimo ea de re arbi- tro videri possit is nouitate saltem colorum, spirituque declamato- rio,

rio, atque paradoxis delectari, quemadmodum & Baelius \* censuit; quicumque Machiauellum, longo adeo tempore aut damnatum, aut spretum, defendendum commendandumque sibi sumat. Et quae iam nobis sic olim visum est; vt vel inuitos trahit iudicii quasi publi- ci auctoritas. Nos quoque, quos illo tempore prudentiae elemen- ta docuimus, in Machiaueli scripta inspicere aegre passi. Ex eo pudor, ne viderer minus mihi lecta post alios damnasse, permo- vit, vt sedulo eos libros euoluerem. Miratus primo, non appare- re, quae expectationi, quantam fecerat contra sententiarum error, satis responderent: mox deprehendi, grandem inuidiam homini immerenti post fata ferme conflatam, aduersariorum aut imperi- tia, aut liuore. Adeo, vt tota via aberrasse viderentur omnes, quicumque de doctrina Machiaueli, illud iudicium vtcunque secu- ti, sententiam dixerunt.

\* In indice historico & critico, *vbi de Machiauello*, Quelques-uns, inquit, „le regardent comme un ecruvain fort zelé pour le bien public. cela sent „un peu le paradoxe. Deinde *in adnot. lit. M. & lit. E.* verbis: Les „maximes de cet Auteur sont tres mauvaises, le public en est si perstra- „dé, que le Machiavellisme, & l'art de regner tyranniquement, sont „des termes de même signification. Ex animo quidem vir probus cor- datusque. Verum nec satis legerat Machiauellum, nec satis, opinor, operae dederat his litteris, vt diiudicare, quid eius doctrinae noceat, quid minus, posset. Fuere, qui Nostrum eo defenderent, quod nihil in eius libris contineretur, nisi quod ab ambitiosis principibus omni tempore factitatum, in historicorum paene omnium monumentis tradi- tum esset. At multum interesse, aduersus Machiauellum Baelius mo- net, *in notis lit. E.* Illos rem, vt gesta esset, narrare, nec probare: color, hunc etiam laudare & suadere. Cave, ne illud tibi iudicium placeat. Neque enim vsquam ille tyrannidem laudauit, suasisque capessendam, neque vnquam instituit, quae ad illam tenendam antes pertinent, eas vel commendare in vniuersum, & vt aiunt, absolute; vel villo pacto ius- tas habere & legitimas. Sed ita suasit deditque duriora illa, si qua sunt, tenendi imperii praecepta, si quidem omnino tibi, cum tua aliorum- que perniciē rerum per tyrannidem potiri, propositum fuerit. Pri- mum igitur & Florentini nostri, & omnium qui sapiunt, consilium est,

*Cautio in tradendis imperii etiam vitiosi artibus.*

*Expedire, doceri id genus praecipua.*

*Violentia interdum necessaria.*

*Machiauellus ea, quae politici ferme omnes, scripsit, id eo non omnino reprehendendus.*

ne rem publicam opprimas: alterum, ut summis virtutibus, summa clementia oppressam teneas. Si eorum neutrum adsequi possis, iam tertium dabitur nequaquam salutare, sed necessarium: ut rem utcumque constitutam summa crudelitate & armis obtineas, medium inter haec postrema consilium inuenire velle, non prudentum est, sed stultorum. quod & recte vidit Herennius Pontius Samnis apud Liuium *libro VIII. cap. III.* Eodem modo, si quis immodici quaestus faciendi, siue latrocinii artem tradere instituerit, rite & ordine factum dicas, si eadem opera humanitatem suadeat & misericordiam omnem exuendam, nec vnquam fidem vel religionem vllam compendio potiore habendam: sin bonitatem & clementiam latroni commendet, aliena & absurda laudari facile intellegas. At latrocinium doceri non expedit. Quia nimirum nunquam aut vtile est, aut necessarium, latrocinium fieri contra, aliquando vtile est, tyrannidem capessi: aliquando, constitutam teneri. In illo conuenit rebus illis, ut violenta imperia non minus iniqua sint & honestati atque legibus aduersa, quam latrocinium; adeoque, si modo docentur, vno eodemque pacto tradenda: in altero autem disconuenit; ut illa aliquando, tanquam violenta in pertinacibus morbis remedia, exerceri oporteat; hoc nunquam. Ciuitatem enim summis partium studiis in extremum periculum deductam, legitimo aliquo praesidio firmare, frustra plerumque cupias; legum enim tum nullus vigor: sed ut omnino serues, si virtutibus polles & potentia, & vitae periculum, ciuiumque tuorum odia, summamque ad posteros infamiam, sustinere, quam pereuntem videre patriam, mauius; ut tyrannidem factionibus opposita rem utcumque constituas, necessarium interdum & vtile futurum est. Quin etiam, tradita tibi insonti principatus violenti velut hereditate, si ponere iniquam potentiam honestatis amore cupias, in certissimam saepe perniciem conicere patriam possis. Factiones enim eorum, qui id armis rapiant, quod tu negligis imperium, non defuturæ. Teneri igitur aliquando tyrannidem ante constitutam, bono publico conuenientius erit, quam omitti. Quamobrem etiam necessarias illas principatus leges, qui de republica rite scripserunt, sibi persequendas esse putarunt. In his Machiauellus egit satis modeste; non alia magis causa reprehensus a multis, quam quod prudentiae ciuili doctrinam, eiusque rationes veras, pauci tenerent.

## CAPVT VI.

*De politicorum sectis & factionibus.*

Sicilicet prudentiae ciuili consulti, vbi de optima republica disputant, in tres abeunt sectas. Alii aequam tantum probant omnibus libertatem, docentque, vnus paucorumue potestatem reipublicae inutilem esse: alii optimatum validum esse volunt in ciuitate imperium; regiam potestatem non probant: alii regis nomen auctoritatemque, ut certissimo reipublicae bono, commendant. Ex illis, qui nimium propendere in libertatis studia videntur, nimiumque principatus nomen atque vnus imperium odisse; vulgo vocantur populares, siue publicolæ, aut, quod dictis & scriptis regiam potestatem solent impugnare, nouo vocabulo, *Monarchomachi*, Gallis, *les Republicains*. In postremis contra cum sint, qui aut iudicii imbecillitate labantes, aut adulationis foedae studiis abrepti, regio nomini nimium & omnia tribuant, atque tyrannidem, blandis prima specie religiosisque, si Dis placet, praecipis instruant, vel in perniciem generis humani aliquando cessuris: etsi sentimus, eorum non minimum esse numerum; vocabulum tamen huic generi proprium nondum, quod sciam, inuentum est. Vulgo quidem appellantur *Machiauellitæ*: sed, cum hoc nomen errore satis largo sit effectum, atque adeo falsum, in eo numero, quibus hanc, quam esse intellegis, sectam tuto possis vocare, habendum non est. Possis interea, si velis, per contrariam ad Monarchomachos rationem, quod egregiae potestatis splendori prae supplicat, appellare *Monarcholattas*. Quas duas inter se sectas, facile agnoueris e regione, atque, quod aiunt, tuto coelo distare. Nil iam attinet dixisse, de alia, quam nos quoque amplectimur, eorum secta, qui non semper & vbique vnã reipublicae formam ceteris praeferunt, sed quosdam populos, pro dispositione morum, & pro ratione temporum, aequalitate legum rectius vti; quosdam vero sub vnus imperio arbitrioque melius viuere, agnoscunt: iique optimam rempublicam mixtam potius

*Politicorum sectae.*

*Monarchomachi.*

*Contrarias sectas.*

*& media.*

tius volunt, quam vni e tribus formis omni parte adcommodam. Hos, si doctrinae causa cupias, possis, exemplo iuris prudentum, vocare, quod miscet formas, *Miscelliones*; aut, quod studium est, diuidere sententias, *Herciscundos*.

## CAPVT VII.

*In ipso genere & secta Machiaueli diiudican-  
da manifestari error.*

*Machiaueli  
secta contra  
ria ei, cuius  
esse putatur,*  
**E**X illis autem contrariarum opinionum alteri qui adhaesit, non potest non quam maxime aduersari praeceptis omnibus, quibus opposita nititur sententia: vt adeo liquidius pateat temerarium de Machiaueli scriptis iudicium. Is enim, tantum abest, vt sit, qui putatur, regiae potestatis ac dominatus fautor nimius, arsumque tyrannicarum inuentor & auctor; vt potius, si quid ab sequitate in doctrinis eius recessum est, libertatis nimius, atque, si quis alius vnquam, plane Monarchomachus sit dicendus. Quod si tibi nouum videatur, nec ab aliis aeque animaduersum: dabimus operam, vt, quam euidentissime fieri potest, id ipsis Machiaueli verbis, quae postea diligenter adducemus, lecturis comprobetur. Eo quidem consilio, vt & nomen viri non mali, quod innocentiae vitae functorum oppressae debemus imprimis, famae qua restituatur; & libri maximam partem probe, eleganterque, nec spernenda rerum prudentia conscripi, sed abiecti paene adhuc & fastiditi, non minimo prudentiae ciuili commodo, illam maculam, quoad licuerit, iam tandem exuant. Ita enim uero versabimur in hoc argumento, vt causis non fauoris minus, quam odii, procul habitis, sententiam primo de scriptis eius nostram strictim explicemus; deinde summam eorum, quae ab aduersariis contra Machiaueli sectam, siue aduersus quascunque eius viri in politicis opiniones & sententias, (quarum nos quidem vllam nostram non facimus) dicta sunt, breuiter reiciamus: postremo, quae sententia ipsius de singulis prudentiae ciuili capitibus fuerit, & quam liber-

*cum sic e Mo-  
narchoma-  
chis.*

*Disquisitio  
nis nostrae  
ratio.*

*Qua de  
causis susce-  
pta.*

*Ordo dicen-  
dorum.*

bertati omnia faueant, e verbis eius adcurate persequamur. Quod si absolui ea & finiri hac vna disquisitione minus liceat; non grauebitur, opinor, aequus lector, si peragenda rei diem proferimus, atque hanc scriptionem, more nostro, duobus tribusue libris, separatim edendis, dispescimus. Item eadem opera, pro moribus immerentis Machiaueli, qui etiam vt atheos iniquis criminationibus dilatus est, vindicias scribemus\*.

\* Iam dudum id promiseram, Nocturnam academicarum libro III, obseruatione XVIII, quo loco etiam imagines Machiaueli restituae sunt,

## CAPVT VIII.

*De Nicol. Machiaueli vita, moribus & fortuna,  
item de scriptis eius iuuenilibus.*

**N**icolaus Machiauellus Florentiae, cum ea in vrbe summa cer- *Machiaueli  
nauitas,*  
tatim ingenia prouenirent, patre Bernhardo, natus: aequa-  
lis ferme, vt credibile est, Politiano & Sauonariorae; quorum ta-  
men vtrumque vitae diuturnitate longe superauit. Gens Machia- *& generis a  
maioribus  
tradita cla-  
ritas.*  
vellerum domi nobilis & patricia, † etiam summo in Florentina ci-  
uitate honore Vexilliferi, quem *il Gonfaloniere* tum vocabant, a-  
liquando decorata. Durat ad hunc diem familiae nomen; & nu-  
per, cum in eo esset, vt deficeret, testamento, nisi fallor, cau-  
tum est, vt arrogatione in eam alienorum, qui vocabulum illud  
ferrent, ad posteros seruetur. Ad ea gentilitia ornamenta Nico- *Eius indoles  
& studia iu-  
uentutis.*  
laus, egregia indole praeditus, proprium sibi decus, litterarum  
gloriam, primus adiunxit. Ingenio summum fuisse, & iudicio  
peracutum, fatentur, penes quos his de rebus esse potuit arbitri-  
um. Eloquentiam praeterea plane Atticam, & elegantiam cum  
singulari rerum delectu coniunctam, adeo facile probauit omni-  
bus, qui libris eius legendis operam dederunt, vt inter principes  
Etruscae dictionis auctores locum, suo merito, iam dudum sit conse-  
cutus. † Dubitari tamen quorundam iudicio potest, Vtrum co-  
gnitione litterarum Latinarum Graecarumque exquisita caruerit,

an earum duntaxat ostentatione? Quare, qui ad illam potissimum Latinae facultatis regulam eruditionis omnis & doctrinae bona meritiuntur, natura magis quam arte valuisse Machiauellum, contendunt. Si satis ex veritate suscepta illa opinio fuerit, ea de quaestione nos infra videbimus. Gratosus primo apud omnes Machiauellus fuerat, & honores in vrbe patria, summis rebus adhibitus, gesserat: deinde, incumbentibus in rem publicam fauissimis temporibus, exactoque Soderino, vt qui optimarum pro libertate partium esset, iniquis Mediceorum quaestionibus afflictus, cum dominorum fidem expertus est ambiguam, tum etiam, quod ad illos voces temporis aptas perscripisset, apud reliquos popularis haberi desiit. Inde obrectationibus primum carceres laxatos, verisimile est: vt perniciosum fuisse, & malis moribus virum, sui passim crederent ciues. Tamen muneribus publicis etiam senex unctus est. Sed nihil aeque famae Machiaueli nocuit, quam quod libello de Principe conscripto, quo Mediceis suaferat, vt totius Italiae capefferent regnum, callido, sed ancipiti commento, inuidiam constare dominis instituit. Putauerat enim, opinor, illos, siue parerent consilio, dum vniuersa concupiscerent, in difficillimo conatu oppressum iri; siue spernerent auctorem, in odium tamen male pacatae ciuitatis, quasi detectis eorum artibus, venturos. Quorum cum neutrum procedere e vestigio videretur, fieri non potuit, quin eadem illa vis odii publici, quam aliis parauerat, minus intellectis argumenti laqueis, aduersus Machiauellum, tanquam in auctorem suaforemque tyrannidis, se conuerteret. Deinde, cum expulsi veteres domini in eo essent, vt armis Caroli V Imperatoris, & ambitione sua suque Clementis VII, pontificis Romani, libertatem ciuium funditus euerterent, aucta est sine dubio populi in Machiauellum inuidia, quo veluti praeceptore haec talia fieri putabant. Interea excesserat ille ex rebus humanis sane senex, ante tamen, quam oppressam videre patriam posset. De anno affirmare ego pro certo non ausim. Varchius enim dubitanter edit annum a Christo nato c1010xxvii. Iouius contra ferme c1010xxxi.

Inter

*Fortuna viro iniquior.**Inuidia potissimum ex libro de Principe oritur.**Obitus illius anno c1010xxvii.*

Inter haec incerta alii, vbi consistant, non habent. ††† De moribus viri infra non nihil dicendum erit. Notant eum ideo certe Aduersario multi: at homines, aut diuersarum partium, aut alias impares testimonio dicundo, quod aliorum fide, tempore posteriores, indiciam faciunt. Si nobis integrum est, e libris eius vteunque perlectis, recipatorio iudicio, qualemcunque Machiaueli sectam, denuo explorare, atque e sententiis vbique fere in eius libris extantibus honestissimis, de moribus coniecturam facere: erit fortassis, in quo virum malitiae absoluas, quod probes, quod temporis & humanitati condones. Saltem, qui naturam optimam, indole sane praeclarissima, ingenioque rebus quibusuis apto, expertus est, & ad haec cognata sibi bona, quaesitas laudabili industria elegantiae & doctrinae laudes, ita adiunxit, vt eloquentiae, & rerum antiquarum, historiarumque cognitionis exactae, atque inprimis prudentiae nomine celebratus, egregios libros, suoque ingenio aetatem laturus, consignaret: eum, si male morarum, impium, vafrum & mendacem traduci audias, inuita quasi Minerua, & Gratiis Musisque omnibus, id intellegas fieri. Magno enim ingenio viros ab omni parte bonitatis exsortes putari, etiam natura humanitatisque ratio repugnat. Sed de hoc alias. Iam nunc scripta viri, quae omnia Etrusco sermone eoque castigato leguntur, breuiter per censebimus. Quaedam versibus scripta sunt, & iuuenilia maximam partem haberi possunt, ideo nobis primo loco nominanda. Quanquam in his ipsis iuuenilibus neque vbertas, neque venustas cum elegantia desit. Eclogis fere constant, quae tum Italici Poemata, li vocabantur, spectantque ad doctrinam morum & ad historiam: quae inuenis scriptis. vt sunt, i duoi decennali; \* res per Italiam gestas, viginti annis, ab c10000clxxxiiii. si absoluisset Machiauellus, breuiter exhibentes. In illis sunt, de occasione, de fortuna, & id genus alia, est & Asinus aureus versibus scriptus (l' Asino d' oro): quo commento sane sat lepido, Luciani & Apuleii Milesias quodammodo imitatus, ab erubescendis tamen abstinuit. Alia eius parilibus argumenti fabula, Belfagor inscripta, Italice, Nouella piaceu- cuius acum- lisse.

*Aduersario rum fides dubia:**ideo secundum scripta viri, de moribus denuo iudicandum est.**Coniectura de moribus non malis ex ingenii bonitate.**Recensio scriptorum Machiaueli institutus adcurator.**Poemata, quae inuenis scriptis.**Fabulae, cuius acum- lisse.*



ne facile vi-  
cit Boccaci-  
um,  
argumen-  
tum exhibe-  
tur.  
Cmoediae  
percensentur.  
Summo  
plausu aetiae.  
Ex his cri-  
mina inten-  
tata.  
Iouius leui-  
ter obiurga-  
tur.

lissima del demonio che pigliò moglie, soluto continuoque sermo-  
ne, habetur. quam deinde Ioh. Fontanus (*de la Fontaine*) in li-  
bro anilium Facietiarum (*les Contes*) metro adstrinxit mimico.  
Ea Machiaueli fabula mulieres petuntur. en argumentum. Mul-  
ti ad inferos cateruatim descendentes, quaestione habita, vxorum  
culpa fato maturato, eo venisse comperiuntur. eligitur aliquis e  
principibus genius malus, qui, quo magis de ea re constet, supe-  
rum petat aethera, vxoremque explorandi caussa ducat. Emer-  
git ille, Florentiam aduenit, nobilem ibi feminam & formosam,  
magna pompa domum ducit. sed, varie ab vxore vexatum, anti-  
quas sedes reperere, atque orci labores, quam coniugium, ferunt  
maluisse. Duas etiam, Plautum imitatus, comoedias scripsit, ora-  
tione soluta: inter primos, qui id argumenti Etrusce tentarent.  
Hoc autem illae loco, ob argumenti similitudinem, memorandae  
fuerunt. cetera dubium est, iuuenis ea conscripserit, an senex, quae  
sane tum demum, cum Leo X Romae pontificatum obtineret, edi-  
disse videtur. altera earum *Mandragola* inscribitur, noui liberio-  
risque argumenti: altera, *Clizia*, e Plauti *Casina*, minus religiose  
tamen, quod alia ex ingenio addidit, alia detraxit, expressa est. Eo  
nomine multum placuit ciuibus suis, etiam, vt Iouius testatur, Leo-  
ni X, pontifici Romano, qui has easdem fabulas, postquam Florenti-  
ae miri leporis famam adquisierant, etiam Romae agi iussit. Ve-  
rum hac eadem opera valde, nisi fallor, displicuit tantum non vni-  
uerso cucullatorum, siue clericorum, ordini, quorum mores mul-  
to acrique, in *Mandragola* praesertim, vbi sacerdos veterator in-  
ducitur, sale perfricuit. Hinc, hinc, opinor, illae criminationes.  
Hinc est, vt solet id genus, si quando eorum vitia tanguntur, ipsius  
religionis, sacrorumque, deque caussam proditam inclamare;  
vt *irrisor* fuisse iactaretur & *arbeos*. Neque enim, o boni, *sat co-*  
*mitter* videmini aestimasse *Hetruscos sales!* \*\* Alias tres comoe-  
dias inter anecdora Machiaueli Iul. Nigrius laudauit. \*\*\*

† Testatur id, praeter Scipionem Anmiratum in Familiis Florentinis, etiam  
Iulius Nigrius (*Negri*) in historia scriptorum Florentinorum, verbis,  
*Niccolo Machiaueli, figliuolo di Bernardo, di nobile & antico casato.*

†† Sic

- †† Sic habet Vb. Folieta, quod infra notabimus ad cap. XVI. etiam Iouius in  
elogiis: & idem testantur, ipso dictionis Machiauellicae proposito ad  
exemplum vsu, auctores Vocabularii *della Crusca*.
- ††† Vir adcuratus scilicet, in introductione ad historiam tomo III. p. 162, v-  
bi de Caesare Borgia, annum edit XXVIII. & qui Machiaueli vocabu-  
lo scripsit, in indice eruditorum compendiaro, fluctuatus, annum aut  
XXVI, aut XXX, etiam de cetero haud multis versibus multifariam  
falsus. Non *vnam* tantum comoediam, *nec Graecos imitatus*, scrip-  
psit; quod est e Iouii verbis perperam, vt id saepius homini accidit et-  
iam in aliis huius indicis locis, intellectis: nec viuente Machiauello li-  
bri damnati sunt, nec is de principe solus: nec vnquam de migrationi-  
bus populorum, neque de ruina imperii Rom. eius liber exiit; qui e versio-  
nis latinae titulo errores sunt. Vt numeros de historiarum exitu corru-  
ptos, & id genus alia taceam. Verum, has aberrationes lusum tantum  
atque iocum fuisse, dicas, prae iis, quas Sincerus aliquis, in vita Machia-  
ueli scribenda, subreperere sibi passus est. Parcemus, vbi in viam redu-  
cendi sunt, veris viuientium nominibus. Nostra autem ratio e Iouio  
constat, qui primo eo ordine Machiaueli elogium posuit, vt necesse  
sit, post annum XXX obisse; & memorat, paullo ante occupatam a  
Carolo V Imp. Florentiam, mortuum: quod incidit in annum XXXI.  
Deinde e Varchio, qui affirmat. Machiauellum vita functum fuisse, an-  
tequam Tarugius, Secretarius ciuitatis Florentinae, moreretur, huic  
autem successum est anno clolxxxvii.
- \* Libellos eos versibus scriptos non, vt par erat, distinxit Iulius Nigrius, *Iul. Nigrii*  
quem modo ante laudauimus, a maiore opere disputationum ad Liuium, *quidam er-*  
*(i discorsi)* verbis, *Alcuni Discorsi sopra la prima deca di Tito Liuiio, che rores notati.*  
*vanno sotto nome di Decennali, usciti nel 1540. in 8. dedicati a Lorenzo*  
*Strozzi figliuolo di Filippo.* Ne vidisse quidem vir doctus & inspexisse,  
prae obsequio in leges inquisitionis pontificiae, typis expressa saepius  
damnati auctoris opera, haud iniuria putabitur, si varios in verbis non  
multis errores animaduertas. Primo enim non *aliquas* tantum scripsit *Disputatio-*  
ille ad Liuium *disputationes*, (*alcuni discorsi*) sed totos tres plurimarum *nes ad Liui-*  
disputationum, siue sermonum, nec minima mole, libros. Deinde nul-  
la ratio est, quare titulo, *i decennali*, prodire ad Liuium disputationes  
ullo modo possent, nihil enim in his libris, quod decem annorum vici-  
bus circumscriptum sit. Contra in illis versibus, singulis carminibus *carmina*,  
decem annorum historia absolui debuit; inde titulus operi coepto con-  
ueniens, *i decennali*. Postremo non Strozae dicauit ad Liuium sermo-  
*nes duo.*

Varillasius  
practer ra-  
tionem lau-  
datus:

eius etiam  
errores ali-  
qui, ubi de  
Machiauel-  
lo.  
Iouii verba  
in transcur-  
su emenda-  
ta & illu-  
strata.

Aliorum er-  
roris, de co-  
moedia ex  
Aristopha-  
ne, origo.  
Familiari-  
tas inter  
Machiauel-  
lum & Io-  
hannem Me-  
diceum te-  
mere confi-  
sa.

nes Machiauellus, cui alios de re militari libros inscripsit, sed Bondel-  
montio & Rucellaio familiaribus suis. Ceterum etiam alias omisit  
illos disp. LL. Nigrius. Praeterea in hoc velim cautius scripsisse homi-  
nem Italum, ubi scriptorem omnino nec aequalem, & peregrinum, Va-  
rillasium, nugatorem illum, qui in historiis suis etiam cuniculos per a-  
quam gelu concretam agere ausus est, (quod falsè ridet Sam. Pufendor-  
fius, Introd. ad histor. in fine tomi II, notatione eius errorum, num. 41.  
ad 46.) prae omnibus bene pinxisse Machiauellum, praedicat. Extat  
illud Machiauelii elogium Anecdotorum ciuitatis Florentinae (*Anecco-  
tes de Florence*) Libro V. circa finem. Legimus verba fide scilicet di-  
gna: argutatur enim, nullo auctore idoneo existente, pro more suo,  
Varillasius. Comoediam illius *Sanitiam* nominat; quo vocabulo  
nullam vnquam scripsit Machiauellus. perite vero, qui Iouium male  
intellexeret. Is enim aut *Niciam* ex Equitibus Aristophanis personam  
appellare voluit, non comoediam: aut emendatione adiuuandus est:  
vt sic habuerit in Elogio Machiauelii: *Sed comiter aestimemus Hetrus-  
cos sales, ad exemplar comoediae veteris Aristophanis, in Clitia praefer-  
tim comoedia, in qua adeo incunde cetera.* Id enimvero his verbis in-  
nuit Iouius: In Clitia praesertim, quae Machiauelii comoedia est, qua  
ciuium quorundam is mores traduxit, non iniquo animo ferri debere  
eius sales, ad exemplar comitatis Atheniensium, aequo animo specta-  
ntium fabulas Aristophanis, Socratem philosophum, in Nubibus, & Cle-  
onem ducem Atheniensium, atque ipsa populi comitia, in Equitibus ex-  
agitare ausi. Quod dictum paullo, quam par est, impeditius, mendo-  
locum, opinor, dedit, vt pro *Clitia*, quae extat e Casina apud Plantum  
expressa, scriberetur, *Nicia*. Inde barbarum illud *Sanitia*: & nouo  
errore, illud vulgo deinde traditum, Machiauelii comoediam mutuo  
sumtam fuisse ex Aristophane: quod & ipsum nusquam affirmat Ioui-  
us, atque res non patitur. Praeterea auctor idem Gallus, non maiore  
veri cura, Machiauellum, tantum non morionem Iohannis Medicei  
Cardinalis, qui deinde Leo X, vitam degisse ait. Scilicet rationem  
reddere instituit, cur comoediae Leoni placuerint: ideo finxit, ipsas  
temporis rationes subuertendo, Iohannem Mediceum multum ante,  
quam pontifex Romanus crearetur, Florentiae vixisse. Iam vero con-  
stat, nisi expulso Soderino, patria eum prohibitum fuisse, & restitutum  
paullo ante, quam ad pontificiam dignitatem ei aditus fieret. Vix tri-  
bus mensibus, quod Iouius in eius Vita *Libro III*, memorat, Floren-  
tias moratus, adeo non potuit in illam, tam breui tempore, familia-  
rita-

ritatem cum Machiauello deuenire, vt potius eo ipso tempore torserit  
immentem, ex ea aduersus Mediceos coniuratione, quam Caponius  
& Boscolus capite luerunt, suspicione pulsarum. Has nobis blanditias  
narrat Gallus pluma lenior.

\*\* Iouii verba sunt, qui videtur sub his abscondere voluisse stomachum, *Iouius illu-  
quem acres comoediarum stimuli, aduersus earum auctorem, Machia-  
vellum, mouerant.* Alio tempore etiam e quodam in Clitia ioco, inten-  
tatum leuitatis impietatisque crimen, nullo negotio dissipabimus. Co-  
hibemus enim limites huius academicae scriptionis.

\*\*\* Infra earum futura est mentio, exeunte cap. XI.

### CAPVT VIII.

#### *De libris sermonum ad Liuium de republica, & de libello, qui Princeps inscribitur.*

**D**Einde scripsit disputationum ad primam Titi Liuii annalium *De republi-  
decadem, (Etrusce, Discorsi sopra la prima deca di Tito Li-  
ca, siue di-  
uio)* siue de republica, libros tres: quibus prudentia status po-  
pularis egregie luculenterque, & magno pro libertate animo, tra-  
ditur. In his pleraque sunt non innoxia solum, sed cedro dignissi-  
ma: contra perpauca, quae vix aliquem dedere locum, ubi aduer-  
sarium malignitas liuidum figere dentem posset. Excipit hos  
de republica, libellus vnus de principe; (*Italice, Il Prencipe*) *De principe  
nouum principem, & adquirendi in ciuitate libera, & tenendi do-  
minatus iis praeceptis instruens, quae necesse est doceri ab his omni-  
bus, quicumque noui principatus siue tyrannidis rationes iudicio  
politico tradere instituunt.* \*\* Nihil in eo, aut perparum, ad bo-  
nos principes, aut electione, aut iure antiquo imperium tenentes:  
quibus ad conseruandam potestatem nullis artibus opus est, nisi cle-  
mentia & moderatione. Fallitur ergo Iouius, & praeter morem *Iouii securi-  
in Machiauellum mitis atque benignus est, quando ait, eo libro opti-  
tas quoque  
hic notata.*  
*matum principem formari.* \*\*\* Serio quidem principem praeceptis  
format, nec is nasus est libro, quem viri docti, Schuppius, Chr.  
Thomasius, aliique putarunt; sed nouum, id est, non bonum;

Ordo, quo hi  
libri legendi.

De Principe  
liber, senile  
scriptum.

De argu-  
mento libri,  
& recon-  
ditis pro liber-  
tate studiis.

quippe qui vel vi, vel technis, imperium sibi parauit. Idcirco valde moueor, vt credam, librum de principe esse post illos de republica, tanquam ad absoluendum argumentum, compositum: † atque illis quidem probam & votis petendam reipublicae formam; hoc autem libello, tum praesentem, & necessariam magis, quam bonam, rerum conditionem, Florentinae ciuitati, ac toti Italiae, a Machiauello caute repraesentatam. Senem autem iam tum Machiauellum ea scripsisse, inde intellegimus, quod se talia didicisse, in praefatione ad Laurentium Petri F. Mediceum, memorat, diuturna admodum experientia, plurimis annis, multum animo reputata. (*Con vna lunga speranza, - - lungamente escogitate & effaminate. in tanti anni & con tanti disagi conosciute & intese.*) Incidunt tempora editi primum huius libri, in illa, quibus Machiauellus, a Mediceis crudeliter tortus, leniendo dolori annuam pecuniam, cum munere scribendi res Florentinas, obtineret. Est sane ei libro, praeter legitimum de tyrannide, quam principatum vocauit, argumentum, multum admixtum latentis inuidiae, & concepti aduersus dominos stomachi. Nec aliter sperari potuit ab eo, qui diuersarum semper partium habitus, recente etiam atrocique iniuria exacerbatus esset. Suadent eandem sententiam diuersa in hoc plane praecepta, ab illis, quae extant in reliquis omnibus Machiauelli libris. Ille ne, qui tantopere commendaue- rat vbiq; libertatem, tum repente senex factus, totius Italiae regnum suaserit capeffendum? & ea prudentia vir, illi suaserit, qui, si meditatus talia tum fuisset, infanus haberetur? Scilicet Florentinae ciuitatis eo tempore princeps, simul Venetorum, Gallorum, Hispanorum, aliarumque potentissimarum gentium, quae eodem praemio mouerentur, arma sustinere se posse, in animum, nisi demens, induxisset? At suafisse ea Machiauellum, capite libri de Principe vltimo, XXVI, abunde probatur. Hoc itaque consilium, cum stolide datum a rerum perito putari nequeat, occulte potius perniciosum, callido commento, & alio fine, quam vt Laurentio prodesset, repraesentatum fuisse apparet. Nimirum,

rum, vt dictum est, inuidiae faciendae causa, postquam illius principatus artes, tanquam publice vtilis, dissimulanter prodidisset, illam doctrinae ciuilibus de tyrannide partem edidit. Atque haec non modo nostra, sed multorum sententia est. Inprimis Alberici Gentilis, & Gasp. Scioppii: cuius nos industriam laudabimus altero libro. Sed hoc tamen idem consilium, quamuis animus scribentis iusta, quam diximus, coniectura purgari possit, nec praecepta, si de malo principe intellegantur, magnopere damnari; quod occulta eius ratio fuerat, anceps valde & periculosum fato effectum, auctori suo multum nocuit, atque, vt aiunt, consultori pessimum extitit: adeo, vt mallet ego, Machiauellum istum de Principe librum aut non edidisse, aut aliter scripsisse: quod ipse etiam ad extremum, cum pigeret eius, quae male cesserat, operae, si Varchio credimus, maluit. ††

Male cessit  
libri consili-  
um; ideo  
melius scri-  
ptum non  
fuisse.

\*\* Vide, quae notauimus supra, ad cap. V. & his iunge Conringii praefationem ante animaduersiones politicas in Nicol. Machiauelli librum de Principe.

\*\*\* Videmus tamen ex his verbis, nondum tanta apud plerosque infamia Machiauelli principem laborasse Iouii tempore, sed eum librum putatum esse, quo optimus princeps recte posset instrui. Quo magis libet, quam temere, & quam festinato, postea damnatus sit.

† Hoc ordine etiam, vt princeps sequatur libros de republica, posuerunt editiones operum sat vetustae & castigatissimae: in recentioribus secus. Etiam dedicationes librorum testari videntur, principem post illos scriptum: vel si maxime typis excusus sit, vt Baelius vult, non enim vidi id genus exemplum, anno 1610. & contradicit huic testimonio Varchius, qui anno 1617. typis nondum fuisse mandatum, ait.

†† Id egisse Machiauellum, vt librum de Principe nondum typis expressum, dopo il riuolgimento del stato, i. e. a C. N. 1617, supprimeret, memorat Varchius libro III. historiae Florentinae, n. pag. 84.

## CAPVT X.

### De re militari & historiarum eiusdem libri.

Eiusdem sunt de re militari (*dell arte della guerra*) libri VII, perpetuo dialogo eleganter scripti. vbi militiam hodiernam ad le-

De re mili-  
tari,

ges disciplinae antiquae Romanorum reuocare nititur. Castrucii vita breuis est, habeturque, cum aliis quibusdam parilis argumenti minutis scriptionibus, \*\* in operibus Machiaueli, post historiarum libros. His autem, qui numero sunt octo, titulo, *delle historie Florentine*, postremum ni fallor, atque limatissimum viri opus, res ciuitatis patriae ab antiquissimis temporibus, ad finem prope seculi post C. N. XV, speciatim ad obitum Laurentii Medicei, illius litterarum patroni, atque ad annum cccccclxxxii, morte, puto, praeuentus, ne recentiora scriberet, praeclare prudenterque diduxit: nec minore, opinor, fide veritatisque studio, quam diligentia: quanquam, vt partium studiosum, notat Iouius. Ille, quod & circa res Florentinorum, & in vita Castrucii scribenda, ab illius rationibus haud paullum sibi recedendum esse putarat, videtur locum criminationibus quaesisse, ne sibi in historiis contrarius, magnae auctoritatis haberetur. Hinc, puto, isto auctore, etiam alia parte, memoriae viri nocitum: quanquam ne quidem illa inuidiae vis obstare potuit, quin egregias laudes, quae nisi summo ingenio viris impendi non possunt, Machiauello consecraret Iouius.

\*\* Sunt istae, *Descrizione del modo tenuto dal duca Valentino nell' amazzare Vitellozzo Vitelli quae sequuntur. Ritratti delle cose della Francia. Ritratti delle cose dell' Alamagna.*

\*\*\* Legito elogium, numero paginarum 161, secundum editionem operum splendidam Basileensem, anni c1010lxxv. lxxviii, quod vtut liuore aspersum, plenum tamen est Machiaueli laudibus. Modo, *mirabili plane ingenio fuisse, atque omnibus rebus apto: modo, perargutus & docilis, falsique iudicii plenus, eloquentissimusque*, praedicatur. Etiam vide, an haec conferri possint in hominem veteratorem & atheum! Atheos ego cum Dauide stultos esse omnes puto. Magna contra ingenia plerumque etiam proba: quanquam mediocribus esse tales non videantur.

## CAPVT XI.

*Editionum diuersitas, & anecdota Machiaueli.*

*Editiones operum per censentur.* Atque haec sunt, quantum eorum editum est, Machiaueli scripta: † hoc ordine, quo nos percensuimus, vt verisimile

le est, composita: quare eadem serie in operibus poterant edi. Verum aliter vulgo, atque a postremis initium factum: ideo, quod ordinem ducere, grauitate rerum, historiarum libri facile visi, id intellegas admissum. Singula, puto, primum separatim edita, initio seculi XVI. Baelius vult, librum de principe, anno a Christo nato c1010xxv, primum luci expositum. ceterum ego nec vidi, nec in bibliothecis adhuc magnopere quaesiui, adeo vetustum ex his scriptis exemplum. Viuente Machiauello pleraque typis exscripta sane oportet. Quod liquet, aut opera omnia, aut partim, excusa sunt Venetiis, apud Paullum Manutium, Italice, anno c1010xxxvi, octonis paginae partibus, & ibidem, c1010l, duodenis, item opera certe vniuersa eadem in vrbe & eodem anno, quaternis. Quae editio, vtut rara, plerumque tamen habetur apud eruditos: eaque ego plurimum vsus sum. Deinde Panormi heredes Antonielli, anno c1010lxxxiiii, instituerunt dare novam operum editionem, eamque, quam fieri posset, castigatissimam, octonis paginae partibus. non liquet, an perfecerint. Certe eius editionis ad Liuium libri, & de principe, cum vita Castrucii, & quae solent addi minutis ad politicam huius viri scriptis, in bibliotheca mea sunt. Praefixa est erudita & cordate scripta, pro calumnia a Machiauello defendenda, Siculi cuiusdam praefatio, quam, vt egregiam, post huius disquisitionis partem alteram, exscribi typis iubebimus. Repetitas inde vidimus, varia forma, at minus castigatas: quas vel tetigisse, operae pretium non est. Sed recentissima operum editio memoranda, vt curata est Hagae Comitum, anno c1010cccxxvi, duodecies pagina diuisa. Nihil vel additum vel detractum hic vetustis exemplaribus, ceterum typorum nitor & chartarum commendari meretur: etiam sat emendata perfunctorie inspicienti visa est. Hanc vnam in tabernis libellionum vulgo inuenias. Anecdota Machiaueli, praeter comoedias tres, *Le Maschere, Il Segretario, La Sporta*, quas supra tetigimus, memorantur, Epistolae eius plurimae; De constituenda republica Florentina ad Leonem X. Pont. Rom. liber; Com-

*& historia- rum libri.*

*Fides Machiaueli nondum dubia. Inuidia cineribus facta.*

*Vetustissimae singularum scriptionum.*

*Venetiae operum omnium.*

*Alia, Sicula,*

*cuius laudatur praefatio.*

*Editio recentissima Hagae Comitis.*

*Anecdota Machiaueli quaedam.*

Commentarii rerum sui temporis: quos, cum fato cederet, Francisco Guicciardino, non leue ad eius historiarum libros praesidium, tradidisse dicitur. Quamobrem etiam in illis Guicciardini egregiis libris multa Machiauello sine dubio debemus. Ea omnia, Etrusce conscripta, Iulii Nigrii temporibus apud diuersos reposita extitisse, e commentariis illius de scriptoribus Florentinis, intelleximus.

† In illis, quae Latine edita sunt, inuenio ap. Ge. Draudium Bibliothecae classicae pag. 1060. *Nic. Machiauelli Chronicon, Venetiis anno C. N. clo lxxxxvi. lxxxvii.* Quo titulo, si modo fides Draudio habenda est, aut historiarum libros, aut decennalia carmina, non etiam nouum eius & adhuc incognitum opus, Latine produisse putamus.

## CAPVT XII.

*Interpretationes operum Latinae.*

*Interpretationes Machiauelli operum Latinae.*  
 Latine uerbi de principe liber maturius, quam cetera, est coe-  
 lptus. Sumsit hoc sibi Telius quidam, natator sane non Delius: tamen saepius, amore Machiauelli, ea interpretatio excusa est. In Bibliotheca nostra est, Basileensis Petri Pernae clo lclxxx, octonis: & ex ea expressae nonnullae Argentoratenses heredum Zeznerianorum, duodenis, a. clo lcc xxii, & alias. In omnibus adnectuntur, praeter Posseuini iudicium, & Osorii reprehensiones, etiam Agrippae & Maecenatis orationes, de republica, ad Augustum habitae, ex Dione: iudicio item bibliopolarum acuto scilicet, tanquam antidota uenenis Machiauellicis opposita, *Steph. Iunii Bruti uindictiae contra tyrannos*, & anonymi, *de iure magistratum in subditos*. At enim uero cum Machiauello Languetus, si quis alius unquam, pulcre consentit. Deinde apud Zezneri heredes etiam prodierunt libri de republica, siue, ad Liuium disputationes, a. clo lcc xviii, duodenis, alio interprete, qui in praefatione pro uirili sua defendit Machiauellum: uerum neque haec interpretatio proba sat est satisque concinna. Eosdem Gallice quidam *de Herberay* vertit & edidit Parisiis a C. N. clo lclviii, octonis

nis, titulo, *Les Discours de l'estat de paix & de guerre, de Messire Nicolas Machiauelli* cetera. Legimus historiarum quoque libros Latine eodem prope tempore uersos. Et primum quidem librum Latine ediderat clo lclxiiii. Hieronymus Turlerus † iurisperitus: deinde reliqua addiderat aliquis terrae filius, curante Lazaro Zeznero, ut omnes historiae Florentinae libri prodirent Argentorati clo lccx. Non incommodè omnino homini cessit, satisque eum Latine scripsisse diceret, nisi nimium saepe grammaticam omnem soloeca dictione euertisset. Interpretationem Telli, librum de principe denuo editurus, hinc & inde emendauit, Herm. Conringius. uerum, quandoquidem non satis Etrusci sermonis peritus fuisse uir alioqui doctissimus uidetur, neque sic satis compta est principis translatio: praeterquam, quod is sit Telli labor, cui spongia rectius possit ac debeat adhiberi, quam uilla emendatio. Praeterea in animaduersionibus Conringius interdum non satis perspexit sententiam hominis Itali; interdum ideo, quod omnia ad politicam Aristotelis referat atque comparet, iniquus iudex est. Prodiit ab ipso liber de principe, addita uita Castrucii latine, & animaduersionibus politicis, Helmaestadii clo lclx, quaternis paginae partibus.

† In hoc etiam nomine aliquoties falsus est *Index eruditorum compendiarum*. Non enim *de migrationibus populorum, & de ruina imperii Romaniani*, suis quidquam auspiciis Turlerus scripsit: sed is primi libri historiarum Machiauelli titulus est, ut argumentum probabilius uideatur, ita Latine expositus: nec uniuersam historiam eius Florentinam uertit ille & edidit, sed primum duntaxat librum.

## CAPVT XIII.

*Translationes eorum in linguas uulgares.*

Longe rectius de principe librum Gallice interpretatus est, libris accurate transferendis exercitissimus, Amelotus: (*Amelot de la Houffaye*) qui edidit, cum breuibus notis, sed probis, Amstelodami apud Vuetstenios, a C. N. clo lcc lxxxiii, forma

*Conringius quid praestiterit edendo Principe.*

*Error de Turlero uulgatus.*

*Interpretationes Gallicae: Ameloti laudatur,*

minore, praemisitque praefationem apologeticam, satis, puto, cor-  
date scriptam. Eadem forma, tomis aliquot, alia, Amstelodami a  
*item Anony- C. N. cIo Ioc LXXXII, prodiit interpretatio Machiaueli operum*  
*mi recentior.* Gallica; haud scio, an omnium: quae, quatenus inspexi, medio-  
*Germanice* cris visa. Praeterea, quidquam ex iis libris, alia lingua versum,  
*Machiauel-* non vsurpauit: nisi quod post libros de arte bellica Germanice, Mon-  
*lus totus* te Bellicardo cIo Ioc XXXIII quaternis, editos, solus Machiaueli de  
*nondum* Principe liber, haud ita pridem in vernaculam nostram conuer-  
*versus,* sus, legitur.

## CAPVT XIII.

*Honos Machiauello primis temporibus habitus.*

*Machiaueli* **I**Am, ubi strictim percurramus, quae de vita viri & scriptis, alias  
*laudes, dum* non aequae memorata, dicenda fuerant; antequam ad ipsam da-  
*viueret, cele-* mnationis causam accedamus, monendi lectores sunt, ne putent,  
*bratae.* Machiauelum dum viueret impetum, eiusue scriptis maculam  
injustam. In magna, quod satis liquet, principum virorum existi-  
matione consuetudineque vixit: nec imi subsellii aliquis, nec um-  
braticus scriptor: eruditione, eloquentia, acumine, rerum peritia  
celeberrimus. Libri eius, dum viueret, auide, summoque cum  
plausu, lecti: in manibus habiti: eloquentiae studiosis in exem-  
plum propositi. Docet, vel inimicus Machiauello Iouius. Ali-  
*Post obitum* quanto post mortem eius, cum Iouius scriberet, id est, circa an-  
*oblique pri-* num cIo Ioc L, crescenti indies famae obstrepere inuidia vix ausa  
*mum peti-* est. Nondum enim atrociter Iouius impetit, sed oblique quasi  
*tus.* ferit: necdum exserto obelo is signauit, quod probe animadu-  
*Iouius etiam* tendum est, politica viri scripta: laudat potius valde, & optimum  
*scripta Ma-* ait principem formasse, bellicis praeceptis ducem instruxisse, & tra-  
*chiauellilau-* ditis exactae prudentiae documentis, in deliberando & consulendo, ex-  
*dauit.* imium senatorem effinxisse. Quorum primum ad librum de prin-  
*Epigram-* cipe, alterum ad eos de re militari, postremum ad disputationes in  
*mata in lau-* Liuium spectare, in aperto est. Nec vitare potuit, quin, appo-  
sito

sito eleganti Antonii Vaccae epigrammate, tumulum Machiaueli *dem nostri a*  
meritis laudibus cohonestaret, in hunc modum, *Iouio appo-*  
*sita.*

*Quisquis adis, sacro flores & ferra sepulcro*  
*Adde puer, cineri debita dona ferens.*  
*Nam veteres belli & pacis qui reddidit arteis,*  
*Iam pridem ignotas regibus & populis,*  
*Etruscae Machiauellus bonos & gloria linguae,*  
*Hic iacet, hoc saxum non coluisse, nefas.*

Laborat versus ab ultimo proximus; neque, qua deprauatione id  
factum, in procliui est: nisi ordo vocabulorum turbatus, & sic  
metrum restituendum est,

*Machiauellus bonos Etruscae & gloria linguae.*

Etiam Ioh. Latomus, qui ceteroquin per omnia prope Iouii elogia  
poesin nimis adsentatorie exercuit, honorificum scripsit Machia-  
uello epigramma,

*Quum sibi praeteneras odioso radier aureis*  
*Vero, vix aliquis, Machiauelle, ferat:*  
*Id vero facias; laudemque e dente pararis:*  
*Quanta fuit linguae visque venusque tuae?*

Et alius eius imaginem hoc disticho insigniuit,

*Supremum per te nacta est prudentia culmen,*  
*Vlterius nec quo progrediatur habet.*

Haec ergo quo tempore edita sunt, nondum potuit fama Machia- *Salua ergo*  
ueli, eo modo, quo postea, laborare. Quod & idem operum e- *tum viri sa-*  
ditiones, per Italiam eodem tempore repetitae, arguunt: inpri- *ma.*  
mis Panormitana, quam sane Antonielli, sub oculis inquisitionis  
Hispanicae procurare, ausi minime fuissent, si vel priuatis Cleri iu-  
diciis Machiauellus iam tum damnatus: qui male tantum audire  
apud imperitos coeperat. Quaquam ne quidem post fulmen  
pontificium plane cessarunt Itali, in edendo Machiauello, luci,  
puto,

puto, cupiditate, quae libelliones in libros quosuis vetitos familiariter valde incitat. Verum minus emendatae hae editiones, vt furtim cufae.

## CAPVT XV.

*Eorum, qui contra Machiauellum scripserunt, libri percensentur & instituta: totius controuersiae historia enarratur: laudantur etiam defensores viri.*

*Aduersarii Machiauelli percensentur.*

*Oforii leuiter arguitur error.*

*De Gentileti commentario, qui vulgo Antimachiauellus, Possenini testimonium.*

**H**ieronymus Oforius, an Innocentius Gentilletus, eorum, qui Machiauellum aperte oppugnarunt, primus † fuerit, ego vero non diiudico; nec operae pretium est. de vtroque alii. †† Oforius quidem vnum tantum Machiauelli caput impetiit, vbi religionem Christianam, prae Romanis sacris, videtur spreuisse. Verum monastica tantum instituta non probat noster, non ipsa Christi dogmata: aitque, ea non ita bellicae virtuti, in animis hominum excitandae, videri idonea, quam antiquos Romanorum ritus. Et quid si hoc vnum tribueret superstitioni Romanorum, vt haberent animos peruicaces, sanguinarios, mortisque contemtores magis? Noluit, puto, Christus populum sibi formare bellatorem, contumacem, implacabilem: sed mansuetum. In aperto igitur docti alias & eloquentissimi Iberi error. Contra Gentilletus, cum omnem viri sectam, vt falsam & impiam, theorematibus quinquaginta e libris Machiauelli excitatis, & qualicumque dictorum eius paraphrasi comprobatis, euertere conaretur, operi suo haud quidem absurdum ANTIMACHIAVELLI titulum, quem ipse indidisse non videtur, aliorum iudicio quaesiuit. Sane Posseninus de eo, *Fuisse inter Calvinianos, qui, cum Geneuam aufugisset, librum ediderit, quem ANTIMACHIAVELLVM, celato suo nomine, inscripisset*, incertum qua fide, memorat. Habuisse quidem illum huius libri, cum ea scriberet, exemplum, & oculis vrsurpasse, necesse est: tamen nusquam apparent eo titulo, vt Gallice & Latine editi sunt, Gentilleti commentarii: id quod testatur

tur post Ballietum Baelius. De auctore, quanquam in editione nulla vel eius nomen, vel officina operarum, expressa habeantur, inter eruditos conuenit. Vtroque sermone, Gallice & Latine, *Duplex eius editio:* idem auctor fortassis edidit, siue Geneuae, siue, quod alii malunt, Lugduni, siue Laufannae. Prodiit primum hoc titulo, *Discours sur les moyens de bien gouverner & maintenir en bonne paix vn royaume ou autre principauté, diuisez en trois livres: asauoir du conseil, de la religion & police, que doit tenir vn Prince. Contre Nicolas Machiauel Florentin.* clō 1576. deinde isto, *Commentariorum de Regno aut quouis Principatu recte & tranquille administrando, Libri tres, in quibus ordine agitur de Consilio, Religione & Politia, quas Princeps quilibet in dirione sua tueri & obseruare debet. aduersus Nicolaum Machiauellum Florentinum.* clō 1577. Gallicum exemplar Francisco Alenconio, Fratri Henrici III. Galliarum regis, inscriptum est; Latinum, Francisco de Hastings & Eduardo Bacon, Anglis. & hae sunt editiones primae. Nam quod aliqui librum a. clō 1571. prodidisse aiunt, sine dubio erratum est. Obitum enim Caroli VIII. Galliarum regis, & alia id genus, ibi describit Gentilletus, quae non ante illos, quos indicauimus, annos compositum fuisse, satis arguunt. Iterum postea Latine editum inuenio Vrsellii Heluetiorum oppido clō 1578. Germanice verterat a. clō 1579. Georgius Nigrius, sacriticus Giessensis: quae versio secundum edita est Argentorati clō 1583 octonis: hoc titulo, *Antimachiauellus, das ist, Regentenkunst und Fürstenspiegel, oder gründliche Erklärung, welchemassen ein Königreich und jedes Fürstenthumb, quae sequuntur. geschrieben wieder den beschreiten Italienischen Scribenten Nicolaum Machiauellum Historicum und Secretarium der Stadt Florenz. dem Vaterland zu gute verteuert durch G. N.* Haec igitur versio gestat *Antimachiauelli* titulum, aliam libri editionem, quae ita inscripta esset, neque ego vidi, & Ballietus extitisse negat. Ceterum, auctorem commentariorum de Regno, non tam doctrinae ciuilibus studia, ad confutandum Machiauellum inci-

*Repertus hic vulgatus libri antea titulus.*

*Causae libri* tasse videntur, quam Guisianarum in Gallia partium, quae tum omnia caede compleant, odium: eo quidem, quod fallere illi fidentem, & potestatis tenendae causa quadrata miscere rotundis, e Machiaueli potissimum libris, quos aulici eorum nonnulli fortassis in sinu tulerant, ††† didicisse viderentur. Verum, neque illa mala, in perniciem libertatis, docuerat Machiauellus; neque ambitiosa Guisianorum factio eo auctore, puto, egerat; nec rite intellexit viri praecepta doloris nimio sensu hebes Gentilleti animus. Quemadmodum enim fieri solet, ut miseri calamitatis suae causam ubicunque inuenire se putent: ita nihil non ille in deteriore partem interpretatus, calumniam vel liquidissimae veritati intentauit. De quibusdam infra speciatim videbimus: quanquam vix aequum est a me exigere, ut argumenta id genus scriptorum copiosius diiudicem, quos fatis confutatos habere possis, si legendos dederis. Perparum enim aduersus praecepta Machiaueli effecisse Gentilletum, dialecticis argumentis, & exemplis in vtramque partem versatilibus usum, quamplurimi eruditorum dudum agnouerunt. In his Albericus Gentilis, Conringius, Baelius. ††† Doctrina tamen & eruditionis apparatus abiudicanda Gentiletio non sunt, neque in eo sentiendum cum Adriano Ballieto, quod nulla habita rerum & verborum Machiaueli ratione, controuersiam ei fecerit: siquidem nemo alius aduersariorum dicta illa, indicatis libris, e quibus desumpta fuerant, diligentius excitauit. Haecenus de principe aduersariorum Machiaueli. Alius, secundi ordinis, *Iob. Molanus* ab aliis laudatur, *Coloniae Agripp. ap. Godefr. Kempensem* editus, c1010LXXXIII. item *Iob. Laur. Lucchesinius* c1010LXXXVII. de quibus inuisis, non habeo, quod dicam. Diuulgatus eo, quo diximus, tempore Innocentii Gentilleti commentariis, etiam per Italiam excitata fuisse multorum contra Machiauelum iudicia, credibile est. Quae inuidia, simul ac Romano pontifice propugnante serpere coepisset, multorum passim calamos aduersus illum acuit. Res acta potissimum sub Innocentio VIII. & Clemente VIII. Occasionem paullo post indicabimus, *cap. XVI,* vbi

*Argumentis in eum agitur inualidis.*

*Adr. Ballietii error.*

*Iob. Molanus,*

*Iob. Laur. Lucchesinius, alii eius aduersarii.*

*Etiam Pontifices Romani contra insurgunt denique:*

vbi de Possuino, qui iussu pontificio primus insurrexit. Copiosius aliquanto Machiauellum lacerauit Romae, ex eadem auctoritate, eodemque tempore, cum Clemens VIII. rerum potiretur, *Thomas Bozius Eugubinus.* Duo eius habentur opera: alterum, *De imperio virtutis, siue, imperia pendere a veris virtutibus, non a cuius libri simulatis,* libri II. item *De robore bellico, diuturnis & amplis Catholicorum regnis* liber I. aduersus Machiauellum: alterum, *de Italiae statu antiquo & nouo* libri III. aduersus eundem. Vtriusque apud me est non sane prima editio, *Coloniae Agripp. c1010LXXXV,* c1010CI, octonis. etiam illius repetita, *ibid. c1010CXXV.* vtrumque Clementi VIII. pont. Rom. inscripsit auctor. Libris de Virtutibus illud in libro de Principe caput petitur, quo affirmauerat Machiauellus, imperantem, si minus veris polleat virtutibus, saltem speciem earum prae se ferre debere. Haec ille, neque vsquam, quantum scio, falsam virtutem vera meliorem, aut, pendere imperiorum bona a simulatis virtutibus, dixerat: ut agnoscas etiam titulum peccare aduersus leges iustae contradictionis. Qui de Robore bellico, idem, opinor, argumentum prae se ferunt, quod Orosii in Machiauellum subitaria declamatio. De statu Italiae ideo scripsit totis libris quatuor, quod Machiauellus, multis eam calamitatibus oppressam esse, alicubi dixerat, Pontificum Romanorum praesertim culpa: melius aliquando habituram, si totius Italiae imperium, quod prohibuerint omni tempore Romani praefules, ad vnum aliquem indigenam redeat. Eam sententiam toto volumine confutat Bozius, aitque, Italiae res nunquam miseriores fuisse, quam antiquis Romanorum temporibus, & florentissimas postea, a Constantino magno vsque, neque alia magis de causa, quam pontificum Romanorum beneficio. Ea simul ac cordatis persuaserit Bozius, etiam in reliquis, quae aduersus illum, pretio fortassis aut odio inductus, iactauit, fidem repente inueniet. Hoc sane exemplo inter Hispanos Petrus Ribadeneira Soc. Iesu, tanquam aduersus pestilentissimam haeresin, nouae, quam esse putabat, politicorum sectae iratus, *De religione & virtutibus Principis* neira.

*Copiosius auctoritate Possuini, & Bozius, eorum argumenta memorantur.*

*Nulla pugna inter Machiaueli tradita, & illa, quae Bozius libris praescripsit.*

*Bozii paradoxon libri argumentum.*

*Item inter Hispanos, Ribadeneira.*



*pis Christiani, aduersus Machiauellum & ceteros eius temporis politicos libros II.* edidit Hispanice *Madriti* cIoIoLXXXV, quod opus deinde Etrusce conuersum per Scipionem Metellum, Castello nouo in Luniano Etruriae agro oriundum, prodiit Brixiae cIoIoLXXXVIII. octonis. Eisdem libros etiam postea *Franciscus*

*Franciscus de Mendoza in Belgio, versis illius libris per Ioh. Oranum.*

*de Mendoza Almiratus Aragoniae*, iam tum, cum apud Sigismundum Poloniae regem Alberti Austriaci legatus ageret, per Ioh. Oranum Soc. Iesu Latine eleganter versos, eidemque regi ex destinatione inscriptos, excudi splendide curauit & edidit, titulo *Principis Christiani, Antuerpiae apud Ioach. Trognaesium* cIoIoCIII, quaternis. Scilicet is liber Austriacae gentis laudes potius, quam vlla Machiaueli vera crimina, continet: atque ea potissimum, nisi fallor, caussa, non etiam odio Machiaueli, post aliquoties in Germania recusis. Hi sunt fere, praeter Possuinum, de quo postea, qui aduersus eam, quam sibi fingeant, Machiaueli sectam, ex instituto, atque operam professi, scripserunt. Non est in eorum numero, quem esse aliqui vario errore dixerunt, Mornaeus. \*

*De Mornaco, siue de Langueto, error. Aduersarii partium studio, siue cupiditate, siue metu, scripserunt omnes:*

Agnoscas interim, qui homines illi fuerint, & quam haec omnis partium studio sit foedata controuersia: quam temere sententiis parum cognitis & perceptis inuidia conflata: quam iniquis animis aduersus cineres eius, qui iam nullo subleuari poterat vindice, vndique confurrectum. Aduersarii quidem, quod in rebus humanis plurimum valet, potentia magis quam iudicio graues: tamen vel ii, qui etiam sui muneris natura, si quis aduersus illam summam sacrorum potestatem liberam vocem emisserit, implacabiles esse solent, vel eorum serui, vel exules: omnes denique eiusmodi, qui libertatem & rempublicam nec habent, nec ideo norunt. Contra, facile deprehendes, e Germanis, Anglis, Batauis, vbi salua respublica, sat acres viro defensores ortos: Albericum Gentilem, non litterarum magis, quam libertatis amore, quo solo incitante in

*contra, laudatores Machiaueli, solo veri & libertatis amore. In his potiores, Alb. Gen-tilis,*

Angliam translatus est, celebrem: Lipsium, honestatis saltem, nisi & libertatis, vtique studiosissimum: Scioppium, si nihil aliud, Franconem tamen, & summam semper in dicendo libertatis, cuius ne qui-

ne quidem iniquior Romanae vrbs secessus innatos retundere stimulos posset: Naudaeum, & ipsum liberae vocis hominem: Scioppium, Conringium, artis politicae indagatorem curiosissimum: denique Schuppium, Amelotum, Vuicquefortium, alios, quos iam taceo: viros omnes eruditione praeclara, iudicio summo, doctrinae ciuilibis per quam peritos.

† Consulto transimus, quae nos non vidimus, atque aut minuta, aut huc ingratis tracta videntur: vt iam anno cIoIoLII. extitisse Machiauello aduersarius dicitur a Possuino, in fine iudicii de eodem. *Ambrosius* *Catharinus Politus*, inquit, *Senensis, Archiepiscopus Compsanus, in disputationibus quibusdam Romae anno huius seculi quinquagesimo secundo editis apud Antonium Bladum: inter quas vna est, de libris a Christiano derestandis, & a Christianismo penitus eliminandis: Vbi mox subdit alterum caput: Quam execrandi Machiaueli discursus, & institutio sui principis.*

†† Conringius, in praefatione ante principem Machiaueli a se editum: Baelius in indice historico & critico, vocabulo Machiaueli.

††† Testatur illud passim Gentilletus, praesertim in epistola dedicatoria, & in prooemio libri primi, aitque, *Sathanam, vt pestiferum illud inde vsque ab Italia virus spargeret, instrumentum in Gallis peridoneum nactum fuisse, Reginam matrem: (Catharinam Mediceam) quae Machiaueli ciuis sui scripta in tantum honorem & dignitatem adduxerit, vt nemo eo tempore in aula Gallica isti Medae acceptus esset, quin Machiauellum Italice, Gallice legeret, tereret, edisceret: quin eius praecepta, vt Apollinis oracula, in mores & in negotia transferret. Idem alio loco, ab Aulicis, inquit, Machiauellum nibilo minore pretio habitum, quam a Turcis Alcoranum. Item alio, Ab excessu Henrici II. regis, Galliam peregrinis arbitris, siue placitis ac praeceptis Machiaueli, regi & agitari coeptam. Itaque ex eo tempore Machiaueli, velut prudentissimi & rerum politicarum peritissimi viri, nomen celebre, & in hominum ore fuisse, & libros eius non in minore pretio habitos apud aulicos Italogallos, quam vel Sibyllina oracula apud Ethnicos, vel Alcoranus apud Turcas. atque ibidem paullo post, Neminem in Gallia adeo hospitem esse, vt nesciat, Machiaueli libros eo tempore a quindecim annis, haud minus assidue aulicorum manibus teri fuisse, quam breuiarium a sacrificis. Hoc idem confirmare videtur Thuanus, dum super scelerata religionis partium caede, Parisiis potissimum facta, consternatorum ciuium gemitus & voces, adcurata*

*Qui primus eorum feratur, Politus Inuidia Gal-lorum in Machiauel-letii verbis notata:*

item Thuanii  
traditis.

Quam vana  
illa fuerit,  
docetur.

narratione persequitur, *historiarum libro LII. prope ab initio*, de Carolo VIII. Rege, *Id illi persuasum fuisse, inquit, ne aliam religionem, quam eam, cui ipsius status inmitteretur, iuxta Machiaueli doctoris sui sententiam, in regno locum habere pateretur: alioqui nunquam pacatas fore, quamdiu in eo duae religiones viguerint.* Verum, neque Machiauellus de sacrorum diuersitate in regno non ferenda, vindicandaque eorum similitudine & vnitatem, quidquam docuit, in libertatem vbique, vt agendi, ita etiam sentiendi, suo ingenio pronus: neque illa, quibus in Gallia tum vsus est impotentis animi adolescens Carolus VIII, perdendi magis, quam tenendi principatus consilia, vlla librorum parte, praeterquam aduersariorum imputatione, repraesentauit. Sane aemulorum, atque externorum, ad quos malorum tuorum sensus peruenturus sit nullus, & mulierum consiliis obsequi: arma plebi modumque crudelitatis permittere: caede suorum ad eum faeuire modum, qui plurimum quidem inuidiae, sed parum ad tollendas factiones momenti sit habiturus: bellorum ciuilium iras inhumanitate acere ad desperationem: impotentiam extremis remediis prodere: iustitiae, probitatis, sapientiae opinionem, iniquis & puerilibus causis ad purgandam inuidiam quaesitis, amittere: ea non modo prudentis religiosique viri, sed ne adolescentis quidem sunt, qui prudentiae ciuilis elementa utcumque didicisset. Ista potius coeco impetu, immodica Guisianorum ambitione, infaustis Romanensium stimulis, & falsae religionis oestro inflammati gesserunt, quam libris Machiaueli legendis intenti. Potuit fieri, vt quidam aulicorum eius libros tum legerent; vt etiam quibusdam eius praeceptis male intellectis abuterentur fortassis: at tamen, si quid casu peccatum est ex his scriptis, non ideo statim illa sua natura perniciose habenda sunt. Quanquam ne quidem ea suspicio certis argumentis nitatur, & credibile sit, potuisse falsam eo facile nasci, quod Catharina Medicea omnium Galliae malorum artifex, cuius sui potissimum praeceptis erudiri ad improbitatem, ex sensu vulgi, iudicaretur. Etiam illud fidem rei abrogat, quod Gentilletus, *in praefat. pag. 15.* vbi ad quaestionem deuenit, *Quibusnam argumentis, Galliam Machiaueli doctrina regi, deprehendatur?* nihil omnino sententiae suae comprobatae idoneum affert, quam vanum suffugium, *ex consiliorum euentis*, quod ea praeceptis Machiaueli respondeant, iudicium fieri de causa. Belle scilicet: quasi euentorum vna tantum causa, quam coniectura haud aegre adsequamur, possibilis existat, nec plures saepius, & diuersae, similium effectorum. Nimirum quaeri dominatum illis regum

Etiam Gentilletus  
suspicionem nullo  
probat argu-  
mento.

gum consiliis, putabat, nec alio quaeri posse auctore, quam Machiauello.

+++ Gentilis quidem de legationibus *libro III. cap. VIII.* Conringius, in praefatione, quam ante laudauimus, Baelius, separato vocabulo indicis sui, *Innocent Gentillet.* Addere his potuimus etiam Adrianum Ballietum, in Iudiciis, & in eo libro, *des satires personelles, qui portent le titre d' ANTI*, littera M. vbi de ANTI-MACHIAVELLO. E quo tamen, vt solet ille homo rarius altum nauigare, nihil ferme intellegas certi, praeter illud, quod ait, nunquam librum, ne Gentilleti quidem, exisse, qui *Antimachiaueli* titulum, nisi postea fortassis librorum commento adscititium, gesserit. Nobis etiam sola Germanica libri Gentilletiani, vt diximus, interpretatio, illo vocabulo inscripta, obuenit. Praeterea in rem nostram faciunt haec Ballieti verba, quibus, nihil actum esse aduersus Machiauelum Gentilleti labore, iudicat. *Le liure, inquit, depouillé des circonstances de l'Aduersaire qu'il refuse, est la production d'un Calviniste zelé, mais d'un mediocre sauant, & d'un tres petit Politique.* & paullo ante, *Il ne faut pas s'imaginer, que ce soit au merite du liure plutôt, qu'à la prevention des esprits generale contre Machiauel, que l'on doit attribuer la multitude de ces editions.* Haec ille, qui non modo in his verbis subinde falsus est, veluti dum Gentilletum minus ait doctum fuisse, & scripsisse nulla habita rerum Machiaueli ratione, quod vtrumque supra eleuauimus; sed alias etiam, vbi de Machiaueli vita quaedam, male intellectis leuiter verbis, qui errores id genus hominibus, doctrinae seuerioris expertibus, obuenire saepius solent, commemorauit. Primo enim, tempora confundens, Machiauelum Marcelli Virgilii Secretarium fuisse, per imperitiam affirmat. At ille non sane Virgilii sed rei publicae Florentinae Secretarius fuerat, & quo minus licuisset hunc errare errorem, eius muneris vocabulum suo nomini in librorum titulis adscripsit, *Machiauel-Cittadino & Secretario Fiorentino.* Quod autem Iouius ait, Marcelli Virgilii *notarium & assecclam publici muneris* fuisse: ex eo tum illud ipsam, quod diximus, apparet, tum etiam familiaritas eorum potius, & allegatio publicorum munerum, quam priuatum illius ministerium, intellegendum est. Et si maxime, antequam succederet Virgilio Machiauellus, in eius fuisset ministerio, ambiguitas tamen vocabuli vitanda: cum illis temporibus insolens esset & inauditum, priuati hominis siue scribas, siue ab epistolis pueros, Secretarios appellari. Alterum Ballieti erratum est, quod Machiauelum obscuro loco &

Ballieti testi-  
monium de  
Antimachi-  
auello.

Inde errores  
quidam no-  
tati.

Necessitudo  
inter Mar-  
cellum Vir-  
gilium &  
Machiauel-  
lum, qualis  
fuerit.

ignobilem ait, *de condition assez mediocre*: qui illustri & antiquo genere natus fuerat, & legationibus pro republica functus. Ut iam cetera taceam.

*Errores Becmani aliorumque quidam notati.*

\* Scilicet Ioh. Christophorus Becmanus, *meditationum politicarum I. §. VI.* & qui eum secuti sunt, eiusdem argumenti scriptores. Is enim, *Stephanum Iunium Brutum, quem alii Hottomannum, alii Mornacum esse putarent, libro, de iure subditorum aduersus tyrannos, aduersarium Machiauello extitisse, ait.* quibus in verbis triplex erratum inest. Primo quidem Hubertum Languetum, non Hotmannum aut Mornacum, sub ficto Bruti latere nomine; monstrauit, ni fallor, singulari dissertatione, Baelius. deinde Bruti libellus, *Vindiciae contra tyrannos* inscribitur; non eo, quem Becmanus refert, titulo. Alius enim est Anonymi libellus, *de iure magistratum in subditos*, quae sequuntur; & is regiae potestati aduersarius, e Gallico conuersus & editus, Lugduni cō lō LXXX. Postremo, neutrum eorum scriptorum non modo aperte aduersus Machiauelum compositum est; sed ne oblique quidem, quod sciam, legi autem perfunctorie utrumque, eius doctrina in his tangitur. Inde scilicet error viro erudito obrepfit, quia, quod supra cap. XII. monuimus, vterque liber, vt aduersarius, cum Machiauello de principe, saepius excusus est.

## CAPVT XVI.

*De inuidia a Pontifice Romano orta. etiam errores multorum, de eruditione Machiauelli, notantur.*

*Alii Aduersarii Innocentius VIII. P.R. & Possuini.*

**A**D annum a C. N. cō lō LXXX, aduersarius Machiauello immerenti ortus fuerat, qui peruinceret auctoritate, longe grauius. Scilicet Innocentius VIII, pontifex Romanus, antequam ad summum fastigium eueheretur, quaedam aduersus Machiauelum collegerat: \* quod onus deinde imposuit in humeros Antonii Possuini, qui quam pulcre, quod ad Machiauelum, sustinuerit, dicant iam saepius citati, Conringius, Baelius, Becmanus, alii. Id deinde secutus Romae scripsit Bozius, & in Hispania Ribadeneira, de quibus capite superiore diximus. Ceterum, altero libro, ipsa Possuini verba dabimus, scholiis & animadversionibus illustriora. Verum vt te, beneuole lector, cum iam disce-

discedere ab hoc argumento animus sit, exhilaratum aliqua fabula dimittam; quo magis agnoscas, quam diligenter legerint Machiauelli scripta, quicumque sententiam de eo suam, ferme praeter vnum illum Siculum anonymum, & Gasp. Scioppium, expromere sustinuerunt; ecce, quam pulcre sibi contradicant vel defensores viri. Alii contendunt, Machiauelum fuisse eloquentem, sed minus eruditum: alii contra, eruditum fuisse, sed minus eloquentem. quae bifariam pugnant. adeo enim eruditus fuit noster, vt imperitiae accusare plane nequeat, quicumque legerit: atque e diuerso adeo eloquentissimus, vt credibile non sit, posse haberi minus eloquentem ab eo, qui vel inspexerit. In illo ordine sunt Iouius, qui valde laudat eloquentiam, aitque, *sermonem patrium nouis planeque Atticis vinculis adstrinxisse*: verum vult idem sibi credi, quod ipse Machiauelus de se professus esset, Graecarum litterarum Latinarumque rudem fuisse. Campanella, teste, qui huic accedit, Becmano, loco indicato, & Voetio, omnium scientiarum imperitissimum, per me licet, dixerit. nec recedere ab hac sententia Alb. Gentilis videtur. reliquos nec quaero, & taceo. Contra, qui eruditum putaret, at minus eloquentem, inprimis Conringius nominandus est, is adeo doctum putat, vt etiam Aristotelis libris, in politicis nimis vsus, accuset, vt etiam Aristotelis libris, in politicis nimis vsus, accuset, *contra, eloquentiae & rudem, & incuriosum fuisse, contendat.* † Quod ad eloquentiam, condonemus homini Germano, si, quamuis cetera doctissimus, Etruscae dictionis veneres adsequi minus potuit. Certo satis sermonis eius peritis constat, Machiauelum non magis eloquentiae laude priuari posse, quam Boccatium, & alios id genus, qui merito habentur eloquentissimi. † Verum, si de eruditione nostri quaestio sit instituenda, moueat fortassis quenquam, praeter Iouii auctoritatem, etiam illud, quod Latine scripsit nihil. Vt igitur fidem faciamus, non modo variarum rerum, sed etiam Graece Latineque satis doctum fuisse; vt ne quid fugere ipsum posset, in perpetuam antiquorum librorum lectionem, imitationemque, valde intentum: id potissimum,

*Nec defensori Machiaueli sit sibi constant.*

*Iouius, Campanella, Becmanus, in transcurso reprehensi.*

*Etiam Conringius lenius ternotatus.*

*De eloquentia Machiauelli probatur;*

*& de eruditione.*

simum, velim, cogitet eruditus lector. Constat primo, comœdiis eum, vt iuuenilibus ſcriptionibus, niſi & Graecos, ſaltem Plautum; & fabulis, Lucianum Apuleiumque, imitatum eſſe. †† qui, quaero, id fieri potuit, niſi probe legiſſet? dices, translationibus uſum. ede, amabo, quae tum, & a quo, eorum librorum, in vulgares linguas, tentatae? at e ſermonibus aliorum argumenta hauſit, & flores Graecorum Latinorumque. hoc quidem pacto non penitus auctores cognoſſe, & ad verbum quaſi reddere potuit, ne dicam, imitatus eſſe, quod intimam notitiam exactamque in his ſcriptis diligentiam requirit. Iam ſi politicos eius libros e- uoluas, pleni ſunt rebus geſtis, moribus, ſacris, ritibus, Graecorum Romanorumque: quae omnia adcuratiſſime perſequitur. pleni ſunt item verbis auctorum, quae commodis locis adducit, probeque reddit: vbique antiquitatis ſe prodit exquiſita cognitio. Si mediocriter eruditus, & Latine tantum non plane doctus fuiſſet, res antiquas ad vnguem, vt calluit, tractaſſe non potuit. his litteris niſi plane imbuti, in euoluenda antiquitate ſemper haerent. Nouimus hodieque viros ſane doctiſſimos, ſummique ingenii, linguarumque peritos, verum in lectione antiquorum tantum non ſatis exercitatos, qui, ſimul ac rerum antiquarum aliquid vel tetigerunt, variis peccant erroribus. In Machiauello aliquid e- iuſmodi vix deprehendas. Etiam eloquentiae exemplar, & pro libertate inſignem animum, quo hiftoriarum libros, Liuium imi- tatus & Tacitum, composuit, e Romanis dicas hauſiſſe, nec alia cauſa a ſermone Latino in ſcribendis libris abſtinuiſſe, niſi quod, etiam antiquorum exemplo, indignum bono ciue putaret, cum ſermone patrio, eoque ſat culto, commode vti poſſet; alii cui- vis linguae addere dignitatem malle. Atque de hoc argumento haecenus, dum ceteris, quo penitus quaeritio euoluatur, perfici- endis edendisque tempus erit. Studiis noſtris, quicunque haec legis, fauebis, atque a nobis iam nunc valebis.

Quibus po-  
tiſſimum ar-  
tibus id ge-  
nus libri  
ſcribendi  
conſent, do-  
cet.

Machiauel-  
lus rerum  
antiquarum  
ſane peritus.

Et Romano-  
rum prope  
in omnibus  
admirator  
imitatorque.  
Concluſio  
diſquiſitio-  
nis.

Praefationis  
e Poſſ. Ind.

\* In libro, cui titulus, *Antonii Poſſeuini e ſocietate Ieſu, Iudicium, de Nuae-  
miluis Galli ſcriptis*, quae ſequuntur, & quarto loco, *de Nicolao Ma-  
chia-*

chiauello, Romae, ex typographia Vaticana cloſoxxii, octonis paginae par-  
tibus, Dominicus Bala typographus ad lectorem haec inter alia praefa-  
cuntur. *Primis diebus ipſis, quibus ſanctae memoriae Innocentius Novus ad  
ſummum pontificatum euectus eſt, inter ea quae ad Chriſtianam repu-  
blicam iuuandam disponebat, hoc primum ſategit, vt repenti in Italiam  
malo, quod per quosdam ſucatos, ſed vere peſtilentes libros inuehebatur,  
obuiam diligentiffime iretur. Nimirum ipſe, cum variis antea in eccleſia  
muneribus, Episcopi, Nuntii, Cardinalis perfunctus, collabentes ex iſta li-  
brorum malorum labe integras prouincias vidiffet: nonnulla, etiam in  
ſummis occupationibus, collegerat, quae aduerſus Nicolaum Machiauel-  
lum & eiuſmodi alios texere ad omnium uſum cogitauerat. Verum e-  
nim vero pontificatu, hoc eſt, immenſa negotiorum mole accedente, cum id  
efficere iam non poſſet; Antonio Poſſeuino Soc. I., viro ſibi & aliis ſat co-  
gnito, mandauit: vt partem eorum, quae ipſe pontifex de hac re ex ipſi-  
us Poſſeuini manuſcriptis operibus viderat, non latina tantum, ſed & com-  
muni lingua, ederet. Haec ille. Ego vero facile toto argumento  
conceſſerim pontificiis id genus hominibus. Certiſſimum enim eſt, vt  
excultis quibusuis litteris, ita inprimis etiam politicis libris, ideoque &  
Machiauelli ſcriptis, non nihil nocitum fuiſſe vniuerſae pontificis Ro-  
mani per totam paene Europam quaeritae dominationi. Itaque rite at-  
que ordine pontifex eos libros, vt hierarchiae pernicioſos, damnauit:  
quanquam fortassis validius aliquanto diſimulatione, quam diuulgata  
damnatione, quae non premere ſolet, ſed excitare legentium ſtudia,  
huic quantulocunque malo obuiam itum fuiſſet. Verum, quid hoc ad  
Germanos? qui & vniuerſi ſacrorum libertatem, aduerſus Itolorum ar-  
tes, ab antiquo defenderunt: (quod nuper argumentum ſingulari diſ-  
ſertatione pulchre adſtruxit, illuſtri genere iuuenis, lectiſſimusque  
quondam alumnus meus, Chr. Guil. Vuolzogenius, ab academia Ha-  
lenſi diſcedens) & aequam e ſuis legibus rempublicam tutantur: &  
magnam partem a doctrinis Romanenſium toto coelo diſtant: vt haud  
raro his iidem vtiliſſimi libri habeantur, qui pontificiis ſcriptoribus,  
nec immerito, in ſumma deteſtatione. Nihil ergo Germanis meis no-  
cebit, perpetuus morum & reipublicae noſtrae laudator, Machiauel-  
lus.*

Ne te moue-  
ant Pontifi-  
cum praeci-  
dicia.

\*\* In praefatione ſupra laudata, paſſim, inprimis numero paginarum 16.

† Ibidem, num. pag. 4.

†† Vbertus Folietta in elegantiffimo de Praeſtantia linguae Latinae dialogo, *Folietae re-  
Romae cloſo lxxiiii, edito, num. pag. 143.* in eloquentiffimis Itolorum, ſimonium.  
perhonorifico loco, numerat Machiauel-  
lum quoque. Ibi Gonzaga,  
Non

*Non animaduertis, inquit, Sauli, te de tot clarissimorum virorum, quos orbis suspicit, praestanti iudicio splendidoque ingenio detrabere, ac Petrarcam, Dantem, Sannazarium, Bembum, Ariostum, Guicciardinum, Machi-auellum, Castilionum, Carum, Casam, Trissinum, Tassos, qui sequuntur, compluresque alios vituperare, qui, si linguam patriam ita turpem & ignobilem iudicassent, quomodo tam longum & diligens studium, tamque assiduum & diligentem operam, in ea omni scriptorum genere excolenda & illustranda, posuissent. Huic autem catalogo, iis summis laudibus, inferturus Machi-auellum Folietia non fuit, si eum aut minus eruditum, aut damnatae damnandaeue sectae scriptorem, Romae tum vulgo haberi, putauisset.*

††† Diximus supra c. VIII, comoediarum eius alteram e Plauto expressam esse: poematum de asino aureo ex Homero, Luciano, Apuleio. Ad eundem modum scripsit il capitolo dell Occasione, pag. opp. poet. n. 33. quo expressum est Posidippi in statnam occasionis epigramma Graecum, *Anthologiae libro III. cap. XIII.* Etrusche sic habet,

*Chi se, tu, che non par donna mortale;  
Di tanta gratia il ciel t'adorna e dota.  
Perche non posi? e perche a' piedi hai l'ale?  
Io son l'Occasione, a pochi nota;  
E la cagion che sempre mi trauagli,  
E perch' io tengo vn pie sopra vna ruota.  
Voler non è ch' al mio correr s'agguagli;  
E però l'ale a' piedi mi mantengo,  
Accio nel corso mio ciascuno abbagli.  
Gli sparsi miei capei dinanzi io tengo,  
Con essi mi ricuopro il petto e' l volto,  
Perch' vn non mi conosca quando io vengo,  
Dietro dal capo ogni capel m'è tolto;  
Onde in van s'affatica vn, se gli auuiene  
Ch' io l'abbia trapassato, o s'io mi volto.  
Dimmi, chi e' colei che teco viene?  
E Penitentia; e però nota, e intendi;  
Chi non sa prender me, costei ritiene.  
E tu mentre parlando il tempo spendi,  
Occupato da molti penser vani,  
Gia non t'auuedi, lasso, e non comprendi,  
Com'io ti son fuggita tra le mani.*

FINIS LIBRI PRIMI.

IOH. FRID. CHRISTII  
DE  
NICOLAO MACHIAVELLO  
LIBER SECVNDVS  
DISQVISITIO